



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Fvunctiones Parochiales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

Iura Parochialia An possint præscribi.

- 1 **A**duersus iura Parochialia solet quandoque opponi de præscriptione, unde licebit hic inuestigare si talis præscriptio procedere possit, cum regulariter illa non habeat locum, nisi in his casibus, qui in iure sunt expressi, ca. 1. vbi glos. de præscript. Couar. in regul. potestor. par. 2. §. 3. num. 7.
- 2 Et quidem dicendum est, posse præscribi talia iura, cum videamus decimam, quæ est de iuribus parochialibus præscribi posse, cap. ad aures, de decimis, cap. de quarta eod. tit. Nauar. consil. 1. de decim. & latius fuit dictum supra in resolut. si ius percipiendi decimas, connumeretur inter iura parochialia versic. præterea.
- 3 Item quia inferior potest præscribere iura Superioris, c. auditis, de præscript. ca. cum olim, eod. tit., vbi probatur Abbatem posse præscribere iura Episcopalia, qui potest cognoscere de causis matrimonialibus, & beneficalibus, cum hæc omnia ad iurisdictionem pertineant, & querantur, cum præscriptione territorij de quo videndi sunt Couar. de sponsal. par. 2. ca. 8. §. 12. n. 1. Suar. de Paz. in pract. to. 2. prælud. 1. n. 8., & Diez de Meua var. quæst. lib. 3. quæst. 24. n. 25.
- 4 Et faciunt pro corroboracione ea, quæ in Superiori proxima quæstione adducta sunt.

PRAXIS FUNCTIONES PAROCHIALES.

RESOLVT. CCCV.

- 1 Iura Parochialia respiciunt vtilitatem Parochi; quid vero functiones, num. 2.
- 2 Parochus in sua Parochia dicitur Prælatus.
- 3 Rector in suo beneficio dicitur Imperator, & Rex.
- 4 Quodnam discrimen sit inter iura Parochialia, & Functiones Parochiales.

- 1 **S**ciendum est pro responsione, quod iura Parochialia respiciunt vtilitatem Parochorum, puta emolumenta, quæ ex Parochia ipsa proueniunt, de quibus satis longè in superiori titulo dictum est.
- 2 Functiones verò Parochiales sunt illæ, quæ à proprio Parocho fiunt, & in quibus Cappellarum, seu quorumvis beneficiorum simplicium Rectores, Sacristæ, & Cappellani se intrinicare nequeunt; sed tale officium ad ipsum tantum Parochum spectat, qui in actu curæ animarum gerit vices Episcopi, c. bonæ rei 12. quæst. 2. & in sua Parochiali dicitur Prælatus, nec non talem habet auctoritatem, qualem, & quantam habet Prælatus cum Capitulo in Ecclesia collegiata. Idemq; Rector in propria Ecclesia dicitur Imperator, & Rex, & Apostolorum vices in illa tenet Rom. consil. fin. & ideo semper ibidem præfertur, vt latè per Molin. in tractat. de canon. lib. 2. c. 14.

RESOLVT. CCCVI.

- 1 Candelarum benedictio spectat ad Parochum.

Candelarum Benedictio Num sit functio Parochialis.

- 1 **I**n die Purificationis B. Mariæ Virginis vulgo vocata (la Candelora) solent Ecclesiastici benedicere Candelas, illasq; populo dispensare, quod quidem ius Parochis ad locorum ordinarios parochianos vtique spectat, cum Candelarum Benedictio inter parochiales functiones connumeretur, prout ita ex facto decreuisse Eminētissimorum Cardinalium Congregationem apparet in Summa Bullar. in verbo Missa, & ita quotidiana viget praxis in singulis Regni Diocæ-

sibus, sequitur etiam Carat. in tract. de iuribus parochialibus cap. 6. pag. 6.

Inde dum in mea Ciuitate Vici Equensis prætenderetur in parochia S. Ciri, & Ioannis benedictionem hanc Candelarum esse faciendam per quendam Cappellatum, ibidem onus celebrandi nonnullas Missas habebat, dum Reuerendus parochus dictæ Ecclesiæ ad me habuisset recursum, mandatum fuit per meam Curiam, quod talis non se intrinicaret, sed quod præfatus parochus, qui in hoc habebat intentionem fundatam huiusmodi munus exerceret, prout cum effectu sic fuit obseruatum, & obseruatur, prout testatur Nouarius in Opusculo secundo noui Iuris Pontificij conclus. 1. de functionibus Parochialibus.

RESOLVT. CCCVII.

- 1 Benedictio Cinerum spectat ad Parochum.

Benedictio Cinerum An spectet ad Parochum.

- 1 **S**olet primo die Quadragesimæ fieri benedictio Cinerum, & hæc benedictio in propria parochia non potest inuitè fieri nisi à loci paroko, cum Benedictio Cinerum connumeretur inter functiones parochiales, & ideo à paroko sunt faciendæ, prout & sic notatur in Summa Bullar. in verbo Missa, & declarauit sacra Congregatio Rituum sub die 18. Martij 1602. & sic seruatur in praxi, & ita refert quoque Carat. in suo breui tractatu de iuribus parochialibus cap. 6. pag. 6. vers. Functiones propriæ, quas recenset, & sequitur Nouarius in secundo opusculo noui Iuris Pontificij conclus. 1. de functionibus parochialibus.

RESOLVT. CCCVIII.

- 1 Benedictio Palmarum spectat ad Parochum.
- 2 Benedictio Palmarum connumeratur inter functiones Parochiales.

Benedictio Palmarum An sit functio parochialis.

- 1 **F**ertur sacram Eminētissimorum Cardinalium in Rituum Congregatione Deputatorum censuisse Palmarum benedictionem, quæ in toto Christiano orbe in die Dominico proximo Paschatis fieri solet spectare ad parochos locorum Ordinarios.
- 2 Connumeratur enim inter functiones parochiales huiusmodi Palmarum benedictio, vt legitur in Summa Bullar. in verbo Missa pag. mihi 403.
Et ideo rationabiliter parochi munus debet esse talem benedictionem impartendi in eius parochiali Ecclesia, prout & vbique seruatur, sequitur Carat. in tract. de iuribus parochialibus pag. 6. c. 6., refert, & sequitur Nouarius in opusculo secundo noui Iuris Pontificij conclus. 1. de functionibus parochialibus.

RESOLVT. CCCIX.

- 1 Benedictio Fontis Baptismalis an spectet ad Parochum.
- 2 Benedictio fontis baptismalis connumeratur inter functiones Parochiales.

Benedictio Fontis Baptismalis An connumeretur inter functiones parochiales.

- 1 **I**n Ecclesijs parochialibus, & quæ sub Magistrorum laicorum gubernio, & directione esse solent extauritis nuncupatis Sacerdotales functiones circa fontis Baptismalis benedictionem spectant ad proprium parochiæ parochum, vt declarauit eadem Sacra Congregatio Rituum sub die 18. Maij in Anno 1602., & refert

refert Summa Bullar. in verbo Missa pag. 403.

- 2 Quia quidem resolutio eo innatur fundamento si quidem certum est, nec dubitari potest, quod huiusmodi benedictio fontis Baptismalis connumeratur inter functiones parochiales, ergo necessario ad ipsum, & proprium loci ordinarium Parochum pertinere debet tale munus exercere, & ita servatur in praxi, & sic scribit modernus Carat. in tract. de iuribus parochialibus c. 6. pag. 6., quem refert Nouarius conclus. 1. de functionibus parochialibus.

RESOLVT. CCCX.

- 1 Delatio Sanctissimi Sacramenti in die Cœne Domini fit per Parochos cum ad illos tale munus spectat num. 2.

Delatio Sanctissimi Sacramenti, & celebrationes Missarum Feriæ V. in Cœna Domini, & Sabbati sancti. An sit functio parochialis.

TEmpore quo Sacra Congregatio Rituum regatur per Eminentissimum, & Reuerendiss. Cardinalem Prolomæum, & in ea uti Secretarius affidebat Alexander Gratianus die 18. Maij in Anno Millesimo sexcentesimo secundo, eadem Sacra Rituum Congregatio declarauit Sanctissimi Sacramenti Delationes, & celebrationes Missarum feriæ quintæ in Cœna Domini, & Sabbati sancti quoque connumerari inter functiones parochiales, nec tale munus spectare ad Cappellanos, siue Sacristas Ecclesiarum fortè à laicis deputatos, sed ad proprium Parochum, seu Rectorem animarum curam habentem in Ecclesijs huiusmodi institutum, vt habetur in summa Bullar. in verbo Missa, & legitur in tractat. Carat. de iur. parochial. c. 6.

Vnde videmus hodiernis temporibus, tam in Ciuitate Neapolis, quam in alijs Regni loci delationem Sanctissimi Sacramenti fieri à proprijs Parochis, & illos similiter in Feria quinta Cœnæ Domini, & Sabbati sancti celebrare Missas, sequitur Nouarius in opusculo noui Iuris Pontificij conclus. 1. de functionibus parochialibus, tom. 2.

RESOLVT. CCCXI.

- 1 Asperisiones quæ in Paschalis diebus fieri solent in domibus fidelium, an connumerentur inter iura parochialis, & num. 2.

Aspersio domorum An sit functio parochialis.

- 1 Viget praxis, quod in die Sabbati sancti facta benedictione fontis, soleant aspergi domus median- te aqua benedicta.

Quod quidem ius spectat ad Parochos, qui in Parochianorum domibus hæc solemnitate facere debet, nec alius poterit huiusmodi usurpationem prætere- re cum inter functiones parochiales similiter connumeretur huiusmodi facultas aspergendi domos, vt legitur in summa Bullar. in verbo Missa pag. 403. versic. Candelarum, & voluit Sacra Congregatio Rituum, quæ ita declarauit ad fauorem parochorum, sequitur, & meminit Carat. in suo methodico tractat. de Iuribus parochialibus cap. 6. versic. functiones, &c.

- 2 Vnde merito dum in Curia Archiepiscopali Neapolitana ob mortem Eminentissimi, & Reuerendissimi Cardinalis Carafæ bonæ memoriæ Vicarius Capituli Sede vacante, munere fungeret, prætendereturq; pro parte cuiusdam Sacristæ deputati à quibusdam extauritarijs intus quandam Ecclesiam parochialem huius Ciuitatis Neapolis, quod ipse poterat in tali die facere huiusmodi asperersionem, præcedente memoria,

li porrecto pro parte Reuerendi Parochi dictæ Ecclesiæ, per dictam Curiam Archiepiscopalem fuit mandatum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, quod talis Sacrista se abstineret, nec se intromitteret in aspergendo domus parochianorum, & sic fuit manutentus in possessione proprius parochus, qui habebat in huiusmodi functionibus parochialibus assistentiam iuris, & intentionem fundatam, & ita fuit executum.

Sicque alias mandauit in mea Dicecesi Vici Equen- dum casus ex facto accidisset.

PRAXIS APPROBATIO
Confessariorum.

RESOLVT. CCCXII.

- 1 Confessarij approbatio fieri debet ab habente iurisdictionem ordinariam.
- 2 Vicarius, & Capitulum Sede vacante possunt approbare Confessarios.
- 3 Iurisdictionem Episcopalem habens in populum potest approbare.
- 4 Episcopus potest Sacerdotem alterius diocesis approbare.
- 5 Regulares pro audienda confessione secularium indigent approbatione Ordinarij, & quid pro audienda confessione monialium, ibidem.

Approbatio Confessariorum à quo facienda.

- 1 Omnes habentes iurisdictionem ordinariam possunt approbare Confessarios in eorum territorio, & districtu, ita quod approbatio hæc ab Episcopo confirmato, & habente subditos iuxta Concilij Tridentini dispositionem sess. 23. cap. 15. de reform. fieri potest, vel à Vicario Generali, qui vices Episcopi sustinet, aut à Capitulo Sede vacante, tanquam Episcopalis iurisdictionis successore, ea. dum olim de maior. & obediens. latè Nouarius in suo opusculo noui iuris Pontificij conclus. 1. de confessione Sacramentali.
- 3 Sicque similiter ab alio habente iurisdictionem Episcopalem in populum exemptum à iurisdictione ordinaria, quia dum ille habet iurisdictionem Episcopalem, ideo ei licet Confessarios in suo territorio approbare, Reginald. in praxi fori pœnitential. lib. 1. n. 180. Vasq. quæst. 93. art. 3. dub. 3. Sanchez de matrim. disp. 29. num. 14. lib. 3. & ita consilui ad fauorem D.
- 4 Anelli Ceraoli Archipresbyteri S. Petri. Posset tamen Episcopus approbare Sacerdotem alterius Dice- cesis, si aliqua ratione fiat subditus ipsi Episcopo, vt si fiat ei subditus ratione alicuius ministerij, ad quod obligatur in ipsius Episcopatu, aut ratione domicilij, aut habitationis pro aliquo tempore, pro quo saltem possit illum approbare, Reginald. in praxi fori pœnitential. lib. 1. num. 187. Leon. de potest. confels. temp. l. ubi. extra ordin. q. 4. num. 28.
- 5 Et hæc approbatio est necessaria, etiam respectu Regularium, quando secularium confessiones audire intendunt, vt post plures aduertit Nouarius loco cita- to n. 9. vbi tamè n. 10. docet Regulares Confessores in monasterijs Monialium, quæ sub cura Regularium sunt, non indigent approbatione Episcopi, sed suffi- cit, quod sit data à suo Superiore.

RESOLVT. CCCXIII.

- 1 Sacerdotium requiritur, vt valeat approbati ad audien- das confessiones.
- 2 Potestas absoluedi confertur in ordinatione, & per quæ verba.

3 Ordina-